

Gottfried Weiss

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Gothofredus Weiß ...  
Puellulae Suavissimae, Helenae Elisabethae Kleinen/ Funus, Quod ipsi, ceu  
filiolae desideratissimae, Vir ... Dn. Johannes Klein/ I.U.D. Famigeratissimus, &  
Consistorii Ducalis Advocatus Ordinarius, Hodie paratum ibit, solenniter indieit,  
& ad eundem exequias, Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. Sub  
Sigillo Rectorali, d. XV. April. A. MDCXCI.]**

Rostochii: Wepplingius, [1691]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771257112>

Druck Freier  Zugang




Weiss, G.,

in H. E. Klein.

R. 1691.
















4

PROGRAMMA  
<sup>2<sup>vo</sup></sup>  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
GOTHOFREDUS

Beiß!

Gr. L. Prof. P. Facult. suæ h. Decanus,  
& ad Ædem D. Nicolai Ecclesiastes,  
*PUELLULÆ SUAVISSIMÆ,*

HELENÆ ELISA-  
BETHÆ Klein/

FUNUS,

quod ipsi, ceu filiolæ desideratissimæ,  
*Amabilissimus, Amplissimus atq; consultissimus*

DN. JOHANNES Klein/

J. U. D. Famigeratissimus, & Consistorii  
Ducalis Advocatus Ordinarius,

Hodie paratum ibit, solenniter indieit,  
& ad eundum exequias,

*Omnium Ordinem Cives Academicos Studiosè  
benevoleq; invitat.*

---

ROSTOCHII,

Literis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typegr.





Ic ergo inter gaudia Christianorum de gloriosâ Christi Triumphatoris resurrectione publica, domum tuam Nobilissime Kleini, deformat luctus, dum immaturâ mortis falce cadit flosculus, læta incrementa in ornamentum singulare inclutæ familiæ promittens, suavissima filiola tua. Quam vanæ sunt spes nostræ mortali-um! quam fluxa & instabilia quibus his in terris fruimur bona! Nimirum, habet has vices conditio mortalium, ut ex adversis secunda & ex secundis adversa nascantur: & hanc omnibus humanis gaudiis legem natura dixit, ut voluptatem sequantur curæ. Eleganter Symmachus in Epistolâ ad Protadium: *nata, inquit, sobolis, primus parentes dies exhilarat; mox p̄i metus brevem gratiam fugant.* Equidem nihil magis ad votum conjugibus accidere posse puto, quam si prole pulchrâ parentes fiant, seq; ipsos in imagine liberorum ad vivum expressos videant, in quibus post mortem sunt victuri, quiq; præterea & nominis & fortunarum futuri hæredes. At nec perpetua, nec sincera voluptas illa est, è vestigio comitante eam curæ, & pii metus adfigunt, læpe etiam profligant. Simul enim atq; nati sunt liberi, ea parentes cura torquet, ne cum lacte nutricis quid mali imbibant, vel à papulis, variolis, ec̄thymatis, pustulis, aliisq; mille morborum generibus patiantur, & sic in primo ætatis flore exstinguantur. Experti hoc estis conjuges Nobilissimi, qui non ita pridem in sinu gaudebatis de novâ sobole, eaq; non aliq̄vâ corporis par-



parte captâ aut debili, sed integerrima, ipsâque mem-  
brorum compositione, ac lineamentorum ad eleganti-  
am ac formam haut vulgarem conformatione, egregi-  
am animi indolem (species quippe corporis, ut ait  
Ambrosius, simulachrum est mentis) præ se ferente.  
Hanc proh dolor! morbo epileptico subitaneo atq; ex-  
itiali privatam vitâ jam lugetis. Sic Amplissimas  
quas de futuro rationes sæpenumero subducimus, unâ  
litrâ spem præter atq; opinionem fata delent. Vah!  
quantum ex puellulæ hujus pietate, formæ pulchri-  
tudine, morum futurâ suavitate, & virtutum animi,  
sexum hunc pæprimis ornantium splendore vobis pro-  
mittebatis gaudium, jam tum se prodeuntibus infantis  
hujus mellitissimi illecebris & blandimentis mirum in  
modum vos capientibus. Videbatis jam adultioris  
ætatis florem, omnium intuentium oculis amabilem,  
vultûs ingenuitatem & temperatam amoenitate mo-  
destiam, verborum decentem comitatem & copiam,  
totq; corporis totius & omnium gestuum & actionum  
veneres, in spe conceptâ, singulari cum animi volupta-  
te probabatis. Videbatis Jam procos, tam egregiis  
illectos donis; osculabamini nepotes & neptes, &  
quæ non lætitiæ ex eadem percipiendæ vos spes ale-  
bant? Ast Eheu! quàm breve delectamentum; uno ictu  
spes omnis decollat. Gaudium satis amplum, gravissi-  
mus moeror excipit, audiuntur gemitus & ploratus,  
dolores vix consolabiles sentiuntur, & ne vestigium  
quidem prioris lætitiæ apparet amplius. Non improbo  
Vir Consultissime, occulta tua suspiria, spem amissam  
gementia, dolores, lachrymas tuas non accuso: & inhu-  
manus sit qui te hoc postulet, ut iisdem adspicias ocu-  
lis funus & feretrum, quibus Helenulam tuam vi-  
vam



vam, vegetam, infantum more garrulam, singularique te Patrem amplexandi pronitate, vultu, gestibus, pappasnisq; blandientem intueri solebas. Odium liberorum objiciebatur olim Demostheni ab Æschyne, quod die ab obitu filæ septimo, auditâ Philippi Macedonum Regis morte, splendide amictus & coronatus prodiisset in publicum. Sic *ἀστυίας* crimen vix effugeres, si non moeror animum, lachrymæ subirent oculos. Verum cogita tamen, quæ tempus præsens meditationibus piis, Dominicæ resurrectionis & nostræ simul è cineribus futuræ restitutionis destinatum cogitare jubet. Non aliunde præstantius ac fortius curis vestris solatium, doloribus levamen, vulneri cordis faucii medicamen promere scio, omnesque qui Ghristiani sunt mecum id fatentur. Ea omnino in cineribus piè defunctorum spes vivit, fore, ut è terræ pulvere prodeant in die pantocritico corpora, non ultra vitæ hujus molestiis, morborum miseriis, aliisque malis fatiganda, nec corruptioni obnoxia. Cujus rei verisimilitudinem ex ipsa rerum natura ostendere & persuadere viri docti fatagunt, & jam ad cælum attollere oculos, modò ad terram demittere, mox in aëre suspendere cogitationes jubent. *Considera mihi, quisquis Sadduceam lucem oles, inquit Scriptor perelegans Drexelius alicubi, quotidiana natura miracula, quot diebus dies moritur & tenebris sepelitur; funestatur orbis honor, & atro sirmate suncta vestiuntur. Sordent, silent, stupent omnia, ubique justitium est, ubique rerum alta quies. Sic amissa lux lugetur & tamen rursus cum suo cultu, cum suâ dote, cum sole suo eadem & integra dies orbi universo reviviscit, mortem suam, noctem internecat; tumulum suum tenebras disturbat, hares sibi metipsum existit. Et idem lunæ deficientis menstrua docent dispen.*



pendia, per tot seculorum decursum sine intermissione  
novâ luce compensata; sic enim redibit etiam corpo-  
ribus nostris in cineres subatros desinentibus vigor  
suus, lux & vita. Tempus vernum tot gramina  
& post eadem flores proliciens, ad oculum viva exhibet  
quæ morte jacebant sepulta, nimirum, â cælo terra di-  
sciplinam accipit, reddi que eadem quæ abstulerat. Sunt  
instar cinerum folia, autumnî tempore de arboribus de-  
cidentia, quando putrescunt & corrumpuntur, quæ ta-  
men succo suo radicem humectant, ut tempore veris ex  
eâdem arbore dici possint prodiiisse. Omnia igitur in  
statum redeunt, cum abscefferint, omnia incipiunt cum  
desierint, & ideo finiuntur ut fiant. Totusque sic re-  
volubilis rerum ordo, nostræ reparationis quædam  
hautque obscura imago est. Iple ad terræ semina nos  
ablegat Apostolus I. Cor. XV. quæ in terrâ putrescere di-  
cit, at morte tam fœcundâ, ut post certas anni vices ma-  
gno cum fœnore resurgant. Mirabilis etiam illa de Phœ-  
nice relatio est, quam ex Patribus Ecclesiæ primitivæ  
plures amplectuntur & ad resurrectionis negotium sua-  
viter applicant, præbente illis ansam in primis loco Job,  
XXIX. 18. ubi versio vulgata habet: *in midulo meo moriar,*  
*& sicut palma multiplicabo dies,* Græci autem LXX. vocem  
Φώνη adhibent, quam per palmam Latinus reddit. Sci-  
licet, senio jam tardum phœnicem Orientis alitem, in  
flammis finire dicunt, ut vitam quam vivus retinerenon  
poterat, recipiat mortuus. Anno vitæ quingentesimo,  
quo morti se vicinum sentit, cum solus sit sui generis &  
solitarius, in urbem Ægyptiorum Heliopolin avolare,  
ibidemque in nido quem ipse sibi ex variis construxit  
aromatibus, comburi cum carne & ossibus perhibent.  
Ex cinere autem superstitite vermem gigni, ex verme

X;

pro;



productis pennis pullum evadere, qui auctis postea vi-  
ribus, incolis vivum se ostendat, & rursus in locum suum  
avolet. Crederem cum aliis esse fabulam & commen-  
tum Græcorum; cum autem scriptores tam profani  
quã Ecclesiastici, numero benè magno id asserant, si qui-  
dem Clemens relationem hanc allegat in suã ad Corinth-  
os Epistola, & post eum Patres complures, suspensio  
santum iudicium hanc de re meum. Annon autem elegan-  
tissimum resurrectionis nostræ documentum hoc est? Ita  
sane ut typum ejusdem phœnicem adducit Tertullianus:  
*multis passeribus, inquit lib. de Resurr. carnis c. 13. ante-  
stare nos Dominus pronuntiavit, si non & phœnicibus, nihil  
magnum. Sed homines interibunt, avibus Arabia de resur-  
rectione securis.* Videtur hinc ipsa natura gentiles etiam  
permovisse, ut talibus versarint cogitationibus animum,  
quæ illos corporum à morte resurrectionem credere po-  
tuisse, ferè persvadent. Nempe, Annæus Philosophus  
præclarissimè in hanc rem: *Mors inquit, nullum habet in-  
commodum. Quod se tanta cupiditas longioris ævi te tenet,  
cogita, nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum natu-  
ram, ex quâ prodierunt, ac mox processura sunt, recondun-  
tur, consumi. Desinunt ipsa non pereunt, & mors quam  
pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit.  
Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies. Equo animo  
debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remean-  
tium, videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descen-  
dere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus eam adducit,  
hiems cecidit, referent illum sui menses: solem nox obruit, sed  
ipsam statim dies abiget. Stellarum iste decursus, quicquid præ-  
serierit repetit.* Ast alia ab his & multò solidiora nobis,  
qui divini S. scripturæ luce collustrati sumus, suppe-  
tunt firmamina.

Dixi de eo in Programmate

nu-



nupero Palchali, & à Resurrectione Christi ut capitis,  
cujus membra sumus, validissimum argumentum du-  
xi. Æterna in hisce verbis veritas est: *Resurrexit, & nos  
resurgemus.* Quid ergo de nostrâ vel nostrorum quos  
medullitus amavimus, morte sumus solliciti? Lugeant  
sine modo Ethnici, qui spe tantâ non nituntur. Non  
surgemus saltim, sed cum incomparabili gloria surge-  
mus. Seminatur in corruptione, surget in incorruptio-  
ne, seminarur in ignobilitate, surget in gloria; semina-  
tur in infirmitate, surget in virtute. Quis non liben-  
ter depositis sordidis lacerisque vestibus, quas gestavit  
hactenus, cubitum eat, si certus sit, se mane resurre-  
cturum, & novo splendidoque amictu exornatum iri?  
Quis non deserat libenter casam rusticam, si regium pa-  
latium sibi sciat paratum? Non contristatur agriola, cum  
sementem facit, quia largam expectat suo tempore  
messiem; ita non amittimus nostros, sed terræ matri com-  
mittimus, messuri olim cum gaudio, quod nunc cum  
lacrymis seminamus. Sic vos etiam Parentes mœstissimi  
deponitis nunc filiolum vestram in sinum terræ, & simul  
in fideles Christi manus, cum gaudio eandem aliquan-  
do resumpturi. Non solebatis flere ac lugere, quando  
charissimum pignus hocce ingruente vesperâ lectulo  
suo concredebatis, & inter nutricis lemmata, lallique  
somniaferos modos, ut cum Ausonio loquar, obdormi-  
scere videbatis; & tamen non tam certi eratis resurrecti-  
onis ejus sequenti die à somno, quàm certi nunc estis re-  
surrectionis ejusdem lætissimæ è sepulchro. Quid ergo  
à luctu surgere cessatis ultra, qui totos hactenus vos oc-  
cupat. Sed brevissimis adhuc lineis, vitæ curriculo  
per brevi convenientibus, recensere beatissimi infan-  
tis in vitam ingressum & egressum, restat adhuc.  
Na.




Nata ergo B. HELENA ELISABETHA est, d. 19. Dec. A. 1690. Patre, Viro Nobiliss. Ampliss. atq; Consultissimo Dn. JOHANE Klein / J. U. D. famigeratissimo, ut & Consistorii Ducalis Advocato Ordinario, Fautore & Amico nostro à pluribus annis æstumatissimo; Matre verò, Feminâ, virtutibus sexum suum ornantibus nulli secundâ, HELENA GERDES. Avus Paternus exstitit Vir Nobiliss. Consultiss. & Excellentissimus DN. CHRISTIANUS Klein / J. U. D. & Almæ hujus quondam Prof. Institut. Publ. celeberrimus. Maternus vero, Vir itidem Nobilissimus Consultissimus, Prudentissimusq;ve, Dn. MARTINUS CHRISTOPHORUS GERDES, J. U. D. & Consul Gustroviensis, ut & Assessor Dicafterii Ducal. Meklenb. Extraordin. optimè ubique meritus. Avia paterna, Matrona laudatissima ANNA Schmiedes / Dn. NICOLAI Schmiedes / Civis olim heic Primarii filia; Avia materna, jam pridem beatè functa Femina Nobilissima, MARGARETHA de Brömsen, Generosi atque Nobilissimi Dn. ANDR. Albrecht de Brömsen, Patricii Lubecensis gravissimi b. n. Proavi Filiâ. Eodem autem die quo in lucem edita, per lavacrum regenerationis Christo statim tradita, primâque sic resurrectione gavisa est. Et nil quidem magis in votis habebant providi Parentes, quam ut longius extenderetur vitæ ejus cursus; ast aliter summo rerum nostrarum Arbitro visum est, qui eam, mox perfectam reddidit, multosque annos, ut cum Regum sapientissimo loqvar, implere fecit. Denata siquidem est elapsâ proximè XI. Aprilis die, A. currentis. Fruitur ergo Jam bonis illis Animula beata, quæ per resurrectionem nobis suam Christus acquisivit. Corpusculum vero tenerrimum, in terræ sinu Sabbathum suum aget, quo elapso recipiet Spiritum, æternisq; cum eo simul potietur deliciis. Inferendum autem hodiernâ luce dormitorio suo erit; hinc ad vos Cives Academici O.O. Honoratissimi, mea se convertit oratio, quam producere labores sacri concatenati vetant: ut nimirum frequentiori numero ire velitis exsequias. Date hoc Viro, præclaris studiis, & spectatâ in docendo felicitate atq; industriâ de Academia nostra optimè merenti. Date familiæ (splendidæ, omniâq; humanitatis officia reciproca ab hisce, animum infervienti promptum offerentibus, expectate. P.P. Sub Sigillo Rectorali, d. XV. April. A. MDCXCI. Conventus fiet in Æde Jacob. Horâ I.











GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK.







nupero Palchali, & à Resurrectione Christi  
cujus membra sumus, validissimum argu-  
xi. Aeterna in hisce verbis veritas est: *Resur-  
gemus.* Quid ergo de nostrâ vel no-  
medullitus amavimus, morte sumus solici  
sine modo Ethnici, qui spe tantâ non nitur  
surgemus saltim, sed cum incomparabili-  
mus. Seminatur in corruptione, surget in  
ne, seminatur in ignobilitate, surget in glori-  
tur in infirmitate, surget in virtute, Quod  
ter depositis sordidis lacerisque vestibus,  
haectenus, cubitum eat, si certus sit, se-  
cturum, & novo splendidoque amictu  
Quis non deserat libenter casam rusticam  
latium sibi sciat paratum? Non contristatu-  
sementem facit, quia largam expectat  
messes: ita non amittimus nostros, sed ter-  
mittimus, messuri olim cum gaudio, quod  
lacrymis seminamus. Sic vos etiam Paren-  
deponitis nunc filiolam vestram in sinum  
in fideles Christi manus, cum gaudio ea-  
do relumpturi. Non solebatis flere ac lu-  
charissimum pignus hocce ingruente ve-  
suo concredebatis, & inter nutricis lem-  
somniaferos modos, ut cum Ausonio loqui  
scere videbatis; & tamen non tam certi ex-  
onis ejus sequenti die à somno, quam certi  
surrectionis ejusdem lætissimæ è sepulchro  
à luctu surgere cessatis ultra, qui totos ha-  
cupat. Sed brevissimis adhuc lineis, vobis  
perbrevis convenientibus, recensere be-  
tis in vitam ingressum & egressum,

